

## XIII.

Leopoldus etc.

Illustres etc. Tametsi Vobis sub seria animadversione Nostra, nisi aliam exequendae benignae voluntatis Nostrae Sphaeram, sceptrigeramque Regiae Autoritatis altitudinem velitis experiri in Anno athuc domini 1701, Die vero 20 Mensis Aprilis, non ita dudum, transacto, praeterita commiseramus et mandaveramus, quatenus Vos Puneta in Anno 1699 Die vero 5. Mensis Septembris ad observandam parem inter quatuor Receptas Religiones, libertatem et aequalitatem tendentia, et collimantia per Nos benignissime resoluta, ac alia etiam in eodem Mandato comprehensa ad amussim citra omnem tergiversationem, et renitentiam, ut Fideles subditos decet, observetis, debitaeque executioni mancipetis, ac per eos, quorum interest observari facere non intermittatis. Vos tamen manifesta ducti contumacia in palpabile Regiae Nostrae Autoritatis vilipendium, prostitutionemque Regiorum Nostrorum Mandatorum, nec Puneta in Anno 1699 praeattacto, sed nec alias benignas Resolutiones Nostras in recentiori benigno Mandato Nostro fusius deductas et declaratas ad hodiernum usque Diem debito sine terminastis, perque eos quibus intererat, terminari curastis taliterque vos inobedientes et negligentes reddere non formidastis. Quamobrem justissimum quidem esset adversus Contemptores Mandatorum Nostrorum strictiorem et arctiorem procedendi modalitatem arripere. Volentes tamen, tam legis vigorem, quam Sceptrigerae Regiae Nostrae autoritatis altitudinem, lenitate Clementiae Nostrae temperare vobis adhuc semel, et ex superabundanti firmiter praecipientes committimus, et mandamus quatenus acceptis Praesentibus, nullo expectato ulteriori Mandato Nostro citra omnem moram et tergiversationem ut fideles subditos decet pro homagialis obligationis Vestrae observantia, tum praefata Puneta, tum vero alias Resolutiones Nostras in praementionatis benignissimis Decretis Nostris contentas, et expressas executioni tradere modis omnibus debeatis et teneamini etc. etc. Datum in Civitate Nostra Vienna Austriae Die 13. Mensis Februarii. Anno domini 1702. Regnorum Nostrorum Romani 44. Hungariae 47. Bohemici vero 46.

Leopoldus.

Comes Samuel Kalnoki

Ad Mandatum Sa. Sa.

Joannes Fiath.

(Abschrift ebendasselbst.)